

**S**Atyrium erithronium Gúthlandia. Hoc per omnia simile Italico, nisi quod flores purpurá dulciores sunt. Adnotare hoc Satyrium hic volui, quod licet in tota Germania illud non offendit, sed in Italia tantum; nibilominus ego id circa Friderichs Oddam ad littora maris Baltici, in locis magis Borealibus, copiose crescens repererim, sic ut Pharmacopœus noster aulicus & castrensis aliquot libras radicum ejus Saccharo considerit.

Saxifragia alba Saxatilis. Vulgari longe minor & pusilla in Alpium & Appennini saxu.

Scabiosa maxima fl. cæruleo Borraginis, Collecta à me suis in Horto Medico Pisano.

— prolifera. Copiose circa Bononiam Italie.

Scolopendrium maximum Alpinum. Hoc ultra magnitudinem pedis cum dimidio sive 18. unciarum circa Bolzanum in Alpibus decerpit. Idem Medium (quod vulgare & nostrum) nec non minimum vix unciam longum ibidem reperi.

Scorpioides fol. bupleuri, siliquis glabris, maculatis, striatis, varie contortis: item siliquis hirsutis, lineis purpureis, luteis, & varie pictis. In Italia passim.

Scorzonera Sylvestris fol. angustis fl. cæruleo, duplex major & minor. Hæc in Sylvis temperatis maxime ex fagis & quercubus constitutis Marchie Brandenb. circa Vallem Joachimicam, pagum Schœnbeck, Fürstenwaldiam Mensibus Junio & Julio floret. Flos egregie cæruleus est instar Cichorei cærulei. Radix nigrescit. vid. Tab. I.

Scrofularia foliis dissectis. Hæc totum Vesuvium montem circa Neapolim mensibus Maj. & Junio occupat. Folia chamaephytos sere sunt, & differunt ab ea, quæ fol. est laciniatis. C.B. in Prodr. 2.

Sedum petræum aureum. In Hispania & in Alpibus flore per magno aucteo offendit.

Serpillum erectum fruticosum, floribus inspicam multifidam digestis. In insula Elba.

Sideritis montana flore purpureo-nigro. Legi hanc in apricis Italie montibus: \* Eadem minima vix unciam longa. In arenosis & siccioribus ibidem.

Sisymbrium odore mali aurantij. In Marchie Brand. udis locis.

Speculum Veneris v. Onobrychis, Rapunc. Saxatilis.

Spergula polygonoides fl. atro-purpureo. In Ducatu Crostensi & alibi in agris Eadem minima, semuncialis. In aridioribus agris \* — maritima magna, succulenta fl. albo Hispanica. Ad maris mediterranei littora ultra magnitudinem ulnae excrescit \* — minor fl. albo-puniceis Gütlandica. Hæc ultra Spithamam non exsurgit, magisq. in latitudinem serpit foliolis succulentis.

Stachys Spinosa Cretica. In Horto Patavino quondam colebatur.

**T**angarae Bras. Tb. Bras. p. 487. v. Index. Tapieturuba. Bras. Th. Bras. p. 297. v. Ind.

Tapococa Bras. ib. p. 419. Species Vicia Africana Clus. v. Ind. Taracuaguacu. Bras. v. Ind.

Taraxacon fol. integro non serrato. Raro in Sylvis Germanie temperatis provenit Idem flore rubro. Id. foliis serræ duplicatæ instar. Ibidem.

Teucrium Saxatile lignosum. Hoc in confiniis Suevia, Francia orientalis in Saxis &c.

Thlaspi Saxatile fol. rubris. In Hetrurie saxis, \* — maritimum fol. oblongis strictissimis fl. albis. Circa littora Insulae Elbae maris Hetrurie, item Adriatici.

— repens fol. Serpilli incanis fl. luteis item albis. Inter Appenninos.

Thymbra spinosa. In monte Juliano circa Pisas & Luccam Hetrurie urbes.

Thymus fl. candidis. Uterius in Hispania quam in Germania.

Tithymalus pusillus fruticosens sarmentis longis tanguam spinis armatus. Ibidem.

— fl. atro-purpureo. Circa Bononiam Italie. Idem florum pediculis longissimis. Circa Venetias in Insulis & terra continente.

Trachelium Valerianoides. In Alpibus.

Tragopogon. fol. laciniatis. Idem petræum minus. Hoc in Saxis Italie & Germ. uncialle.

Trichomanes caule viridi, fol. serratis. In Alpibus.

Trifolium lupulinum Saxatile unciale fl. luteis. Ibid. Idem fl. albis oblongis. In Appenninis — v. sicarium Saxatile pusillum. Ibidem.

Tusfilago parva Alpina. In Tirolensis & circa Innspruk in Alpibus provenit. Flos ab initio purpureus instar Petasitis, & contra morem Tusfilaginum folia sequitur, provenitq. initio Mensis Maii.

Tubera subterranea testiculorum formæ. Hæc Mense Augusto & Septembri iunctio in Marchia Brandenb. proxime urbem Fürstenwaldiam & alibi sub cespitibus arenosis inventa. Occasione hæc in ea incidit primum. Subulcus Civitatis dictæ, ut mos est, matutino tempore sues ex civitate in pascham agitabat, antequam eò pervenirent, quidam porcorum inter currendum proboscidibus (ut eorum mos est) terram hinc inde evertebant subolfacientes tubera sub cespitibus latitantes. At cum ob instantem actorem suibus non superesset tempus, subolfacta tubera devorandi, quedam terræ denuodata reliquerant. Accidit, ut eo tempore ex civitate me in vineam conferrem, ubi mibi via ista (quam subulcus ante exitum meum cum suis porcis institerat) perennem erat. Forte hic in-

cidi